

3210. 242

652  
16

# Disputatio

DE  
BONORVM POSSESSIONIBVS:

Quam,

DEO PROPITIO:

PRÆSIDÈ

CLARISSIMO ET CONSUL-  
TISSIMO VIRO, D. IOHANNE HAR-  
PRECHTO, V. I. D. præstantissimo, Domino ac fau-  
tore suo perpetua obseruantia honorando, 28. die  
Decembris, hora locoq; solitis, ordinarij exer-  
citiij gratiâ, pro tenuitate ingénij defen-  
dere conabitur

VITVS, ROTH VVEISSEN  
*burgensis Noricus.*



T V B I N G A E,  
Apud Georgium Gruppenbachium.

ANNO M. D. X C.

VIRTUTE, PRVDEN-  
TIA MAGNOQVE RERVM VSV  
PRAESTANTISSIMO  
VIRO;

DOMINO IOHANNI ROTH,  
ORDINIS SENATORII APVD VVEIS-  
senburgenses Noricorum primario, Parenti  
suo summa animi pietate  
colendo

H A S C E

*Studiorum Iuris primitias grati obsequij & de-  
bita obseruantia ergo*

OFFERT AC DEDICAT

*Vitus Roth.*



DISPV TATIO DE  
BONORVM POSSES-  
sionibus.

T H E S I S I.

**B**V S bonorum possessionis est introdu-  
ctum à Prætore, emendandi vel supplendi  
veteris iuris gratiâ.

*In princ. Inst. de bonor. possess. l. ius au-  
tem ciuile. 7. §. 1. ff. de Inst. & iure.*

2.

Aliquando tamen neq; emendandi neq; impu-  
gnandi veteris iuris, sed magis confirmandi gratiâ  
Prætor bonorum possessionem pollicetur.

*§. 1. Inst. h. t.*

3.

Est autem bonorum possessio, ius persequendi, re-  
tinendiq; patrimonij, siue rei, quæ cuiusq; cum mo-  
ritur, fuit.

*l. 3. §. bonorum. ff. de bon. poss.*

4.

Bona hîc intelligimus non deducto ære alieno;  
sed vniuersum patrimonium, commoda atq; incom-  
moda hereditaria continens.

*l. 1. & 3. in princ. ff. eod.*

5.

Hîc quæri solet; nunquid statuta de herede lo-  
quentia, bonorum possessorem quoq; comprehen-  
dant? Atq; explosa quorundam inter materiam fa-

A 2 uorabi,

uorabilem, & odiosam distinctione; aientem probamus laudamusq; sententiam.

*l. Prator. 117. ff. de R. I. l. heredis. 170. ff. de verb.*

*signif.*

6.

Duplex porrò est bonorum possessio. Quædam competit factò testamento: Quædam non factò testamento.

*In princ. Inst. h. t. l. 1. ff. quis ordo in bon. poss. seruetur.*

7.

Hæ duæ subdividuntur: Aliæ enim sunt ordinariæ: Aliæ extraordinariæ.

*§. sed eas. vers. aliam. Inst. h. t. iuncto. §. septima. cas. infra eod.*

8.

Ordinaria bonorum possessio dicitur; quæ est fundata in certa & expressâ parte edicti Pratoris; ita quòd certum nomen habeat: & conceditur cum plena causæ cognitione.

*l. 3. §. si causa. ff. de bon. poss. & glossa ibid. & l. 2. §. 1. & 2. ff. quis ordo in bon. poss. ser.*

9.

Duæ sunt hodiè ex testamento ordinariæ bonorum possessiones. Prima vocatur contra tabulas.

*§. sunt autem. Inst. h. t. & ibi Interpp.*

10.

Datur hæc liberis præteritis tam emancipatis, quàm non emancipatis. *a.* Quin etiam patronis, *b.* & parentibus. *c.*

*a) Myn-*

*a) Mynsing. d. §. Inst. eod. l. 1. in prin. & §. 6. ff. de bon. poss. contra tab.*

*b) §. 1. Inst. de succèss. libertorum.*

*c) l. 1. ff. si quis à parentibus manumiss. sit.*

11.

Quamvis enim liberi præteriti iure civili possint testamentum dicere nullum: tamèn plerunq; honestius & vtilius est agnoscere hanc bonorum possessionem; quàm testamentum nullum dicere.

*In princ. Inst. de exheredatione liber. Mynsing. ad § sunt autem. Inst. de bon. poss. n. 1. & 2.*

12.

Illos autem liberos intelligimus, qui sunt naturales & legitimi simul. Nam soli naturales, sicut & adoptiui, nouissimo iure, hoc ius non habent.

*l. 1. in prin. iuncta glossa. ff. de bon. poss. contra tab. l. cum in adoptiuis 10. §. Sed ne articulum, C. de adoptionib.*

13.

Altera bonorum possessio ex testamento, est secundum tabulas; quæ datur omnibus iure scriptis heredibus, & nuncupatiuis.

*d. §. sunt autem. Inst. h. t. l. 2. C. de bon. poss. secundum tab.*

14.

Ab intestato quatuor bonorum possessiones hodiè in vsu sunt, cæteris ab Imperatore abrogatis.

*§. sed eas quidem. Inst. de bon. poss. l. 1. §. 1. ff. unde liberi.*

15.

Prima est, VNDE LIBERI; quæ principaliter introducta est, propter filios emancipatos; qui lege 12. tabularum ad successionem paternam ab intestato non admittebantur.

*S. emancipati Inst. de hereditatib. quæ ab intestato deferuntur. VVesemb. in parat. t. unde liberi.*

16.

Secunda, VNDE LEGITIMI; quæ datur agnatis per virilem sexum descendantibus,

*S. 1. Inst. de bon. poss. t. t. ff. unde legitimi.*

17.

Hodie omnes tam cognati, quam agnati sunt legitimi.

*Novel. 118. c. 4.*

18.

Tertia est, VNDE COGNATI; quam Prætor dat cognatis, non extantibus agnatis, excluso fisco.

*S. sed eas. Inst. de bon. poss. t. t. unde cognati.*

19.

Quarta est, VNDE VIR ET VXOR; per quam deficientibus consanguineis, agnatis & cognatis, vir ad successionem vxoris vocatur, & vice versa; etiam fisco excluso.

*d. s. sed eas. Inst. h. t. t. C. unde vir & vxor.*

20.

Quæstio hîc occurrit; vtrum bonorum possessor directum, an utile dominium consequatur? Illud utile dominium consequi, defendere conabimur.

*arg. l. nemo. ff. de Reg. iuris.*

21. Et

21.

Et hæc de ordinarijs bonorum possessionibus: Iam de extraordinarijs sequitur: Quæ nulla certa editi parte, vel ad testamentum, vel ad causam intestati adiunguntur: sed ex nouis legibus, prout quæq; res incidit, extra ordinem dantur.

*S. septima. Inst. de bon. poss. VVesemb. in parat. h. t. n. 9.*

22.

Prima extraordinaria bonorum possessio dicitur, VT EX LEGIBVS, VEL, QVIBVS EX LEGIBVS.

*d. s. septima. Inst. h. t. & t. t. ff. ut ex legib. & scis. bonorum possessio detur.*

23.

Datur autem, quoties ex nouis legibus bonorum possessio in genere, non in specie, seu in indiuiduo defertur ex testamento, vel ab intestato.

*Glossa in l. certum. s. C. unde legitimi. Schneid. in d. s. septima. n. 3. Inst. h.*

24.

Secunda dicitur CARBONIANA, dicta à Prætorè Carbone.

*Secundum glossam rubricæ. ff. & C. de Carboniano edito.*

25.

Datur hæc filio impuberi; quando ei quæstio status & hereditatis simul mouetur.

*t. t. ff. de Carboniano edito.*

26.

Nam Prætoris decreto interim impubes mittitur in possessionem defuncti: donec quæstio status deci-

B 4 datur:

datur: & differtur hæc quæstio vsq; ad tempus pubertatis.

*l. 1. in prin. ff. de Carb. edicto. Schneid. precitato loco, n. 6.*

27.

Ea tamen conditione datur ei hæc possessio: vt priùs præstet cautionem de bonis hereditarijs restituendis; si apparuerit, eum non esse filium,

*d. l. 1. s. Eum qui. ff. d. t.*

28.

Nam eum, qui controuersiam facit, si pro pupillo satis ei non detur, simul in possessione eorum bonorum esse, Prætor iubet.

*d. l. 1. ff. de Carb. edicto.*

29.

Tertia extraordinaria bonorum possessio datur VXORI, VENTRIS NOMINE, VEL VTERI, QUEM GERIT: quando scilicet post mortem mariti Mulier dicit, se esse prægnantem.

*l. 1. in prin. ff. de ventre in possess. mittendo.*

30.

Tunc enim fauore partus in possessionem bonorum mariti mittitur: & interim curator bonis datur: qui viduæ præstet alimenta, & ad edendum partum alia necessaria, pro facultatibus & dignitate defuncti mariti.

*d. l. 1. s. mulier. 19. ff. de vent. in possess. mittendo.*

31.

Tamdiu aurem venter in possessione esse debet, donec pariat, aut omninò constet, eam non esse grauidam.

*d. l. 1. s. tamdiu. 27. ff. d. t.*

32.

Quarta extraordinaria bonorum possessio dicitur, LITIS AGNOSCENDÆ SIUC ORDINANDÆ GRATIA.

*Schneid. ad S. septima. n. 11. Myns. ibid. n. 7.*

33.

Datur hæc filio emancipato exheredato vel præterito, ad consequendam facultatem intentandi querelam inofficiosi testamenti: ad quam aliàs emancipatus de l. 12. tab. non admittebatur: cum querela inofficiosi testamenti sit iuris ciuillis: ius ciuile autem emancipatum non agnoscat.

*Myns. & Schneid. in d. S. septima. in fine Inst. h. t.*

34.

Cum igitur plures successionum species Prætor introduxisset: & in vnaquaq; specie sæpè plures extent dispari gradu personæ: petendæ bonorum possessioni certum tempus præfinit.

*§. cum igitur. Inst. h. t.*

35.

Idq; eâ potissimùm de causa: ne creditorum actiones differrentur: sed haberent, quos conuenient.

*d. s. cum igitur. Inst. eod.*

36.

Liberis itaq; & parentibus, tam naturalibus, quam adoptiuis, in petenda bonorum possessione utilis anni spacium; cæteris agnatis, vel cognatis, centum dierum dedit.

*Sæpè d. s. cum igitur. vers. liberis. & s. ult. Inst. d. t. l. 1. s. largius. ff. de success. edict.*

A 5.

37. Si

37.

Si quis autem bonorum possessionem sibi competentem repudiauerit: aut intra prædictum tempus non petierit: ius suum petitionis perdit: eiusdemque gradus personis accrescit.

*d. S. cum igitur. vers. & si intra. Inst. de bon. poss.*

38.

Vel si nullus alius sit in eodem gradu: cæteris in gradu proximè sequentibus, bonorum possessionem perinde ex successorio edicto Prætor pollicetur; ac si is, qui præcedebat, ex eo numero non esset.

*Per d. S. cum igitur. in fin. & S. seq. h.*

39.

Hodie solennitates, quæ veteri iure circa petendam bonorum possessionem necessariæ erant, non obseruantur: sed sufficit, quòd intra tempora statuta, quis adeat iudicem competentem, & coram eo, quocumque modo suam voluntatem declaret.

*l. fin. C. qui admitti ad bon. poss. possunt. S. ult. Inst. h. t.*

40.

Denique non incitè, aut incommodè quæri potest; An hodie bonorum possessiones sint sublatae? an item sint necessariæ? Illud cum plerisque Doctoribus negamus: hoc verò, non indistinctè tamen, affirmamus.

*Vide Melch. Kling. in Inst. h. t. n. 11 & 12. Schneid. ibid. s. ult. n. 8. & seqq. Glos. Bart. & Dd. in l. fin. C. unde legitimi &c.*

*πρόσρῳα.*

*πρόσρῳα.*

CORONIDIS ET SV  
PERPONDII VICE  
annexa.

I.

Possessionem in suum heredem absque noua apprehensione non continuari, statuimus.

*Arg. l. possideri. 3. S. 1. ff. de acquir. vel amit. possess. & l. licet. 4. C. eod.*

II.

Dominium regulariter sine possessione acquiri non posse, iudicamus.

*Franc. Hotoman. in quest. illust. q. 11.*

III.

Dominum territorij deprædato rapinam in territorio suo commissam refarcire teneri, asserimus: damnumque rapinae non iuramento, sed testibus probandum esse, concludimus.

*Arg. l. 1. S. quies quoque popularium. 12. ff. de offic. praefecti urbi. l. praes. 3. in fine. & l. congruit. 13. ff. de offic. praesid. l. 2. S. pro limitaneis. 8. C. de offic. praefect. praetorio Africa &c. Felin. in c. licet causam. n. 12. de probat. & in c. postulasti. n. 8. de for. compet. Vide And. Geil. lib. 2. obs. 64. n. 1. 2. & seqq. &c.*

F I N I S.